

CAS. I. **S**acerdos obtinuit facultatem excipiendi Confessiones quoad Mares tantum. Q. an illam habeat pro hermaphroditis?

CAS. II. Alter Sacerdos celebrando Missam in nocte Nativitatis Christi Domini, una simul cum sanguine deglutivit muscam. Q. an postmodum possit alias duas Missas celebrare?

CAS. III. Cum Te Deum regulariter non dicatur in Officio Festi SS. Innocentium: Q. cur postea dicatur in eorumdem Octava, immo & in die festo, si hoc incidat in Dominicam?

ANNO MDCCCLXI.

MENSE JANUARII.

CAS. I. **O**rta gravi, ac longa contentione inter duos Parochos, an adscriptio Societati SS. Sacramenti in quibusdam anni solemnitatibus fas sit eligere Confessarium, à quo à Casibus quibuscumque etiam Diocesano Episcopo reservatis, sine hujus licentia, absolvatur; ad litem dirimendam recurrent ad Archipresbyterum. Quid hic responderet?

Respondebat, id fas non esse adscriptio præfatae Societati. Ratio est, quia nullum adduci potest authenticum documentum, ex quo de hujusmodi facultate, aut privilegio legitime constet. Licit enim Paulus III. in Const. Dominus Noster, edita pridie Kal. Decembris anno 1539. Confratribus utriusque sexus prædictæ Societatis concesserit, ut ter in vita, etiam in mortis articulo, etiamsi mors tunc non sequatur, à quolibet Confessario, approbato ab Ordinario, absolviri possint à quibusvis peccatis, etiam Papæ (iis exceptis, quæ in Bulla Cœnæ legi solent), & eorum Ordinariis reservatis; tamen non eo extendit hujusmodi Indultum, ut valeant ab iis absolviri in quibusdam anni Solemnitatibus indefinite, prout verba expositi Casus cæteroquin præseferre videntur. Deinde tali Indulcio Pauli III. fuit per Tridentinum, ac per alios Pontifices successores derogatum, scilicet, per Clementem VIII. celebri Const. Quæcumque, edita die 7. Decembris anno 1604. ubi §. 9. expresse decrevit, ut Confrates, privilegiorum prætextu, ipsorum Confraternitati concessorum, nullo modo absolviri possint à Casibus Summo Pontifici, ejusque in Urbe Vicario, & locorum Ordinariis, respective reservatis, ac pro tempore reservandis. Item per Paulum V. mediante Decreto à S. Cong. Episc. & Regul. ejusdem jussu edito die 7. Januarii 1617. ubi, inter alia; hæc leguntur: *Insuper ut nulli ex Sacerdotibus prædictis (neinpe tam Sæcularibus, quam Regularibus) quibuscumque privilegiis, indultis, & facultatibus suffulti, ab Excommunicationibus, vel à Casibus eisdem Ordinariis, vel Sedi Apostolice reservatis, præterquam in mor-*

*mortis articulo, absolvere audeant, vel præsumant. Denique per Urbanum VIII. die 17. Novembris 1628. ut laudatae Congregationis testimonio infra patebit. Neque dicas, facultatem relatis Decretis sublatam, ob confirmationem deinde factam à Clemente X. die 23. Aprilis 1676. ac Innocentio XI. die 1. Octobris 1678. pristino valori fuisse restitutam. Neuter enim umquam confirmavit facultatem absolvendi à reservatis, de qua est sermo; ut manifestum fiet attente legenti litteras, in forma Brevis ab eodem Innocentio datas die, mense, & anno prædictis, quæ incipiunt: *Injunctionis nobis*, ac intercludunt Decretum Clementis X. Quinimum ibidem referatur, Clementem X. Pauli V. vestigiis inhærentem ea concessisse dictis Confratribus, quæ idem Paulus V. die 3. Novembris 1606. per Breve *Cum certas* concesserat Archiconf. SS. SS. Sacramenti de Minerva. Jam vero tantum abest, quod ibi Paulus V. de novo hujus Confratribus concessit facultatem faciendi ter in vita se absolvere à reservatis, ut de hoc ne verbum quidem ibi fecerit, immo revocaverit, annullaverit, ac nullius roboris, & momenti esse declaraverit Indulgencias omnes, & singulas, peccatorum remissiones, ac penitentiarum relaxations, eidem Confraternitati, ac illius Confratribus, & Sororibus concessas per quoscumque Romanos Pontifices suos prædecessores, novasque impetraverit. Nec diversimode se gessit Innocentius XI. cum ibi ne quidem agat de dicta confirmatione, ibidemque confirmet Decretum ipsius Clementis X. At etiam supponamus, quod aliquid circa hujusmodi confirmationem egissent. Neque eo tunc pro vere confirmata habenda esset præfata facultas, ut probo sequenti clarissima Epistola, vulgari idiomate peculiariter quidem data à Sac. Cong. Episc. & Regul. die 7. Decembris 1646. ad Archiepiscopum Neapolitanum, sed universale continentem, ac per extensum relatam à P. Theodoro à Spir. Sanct. de Indulg. part. 2. cap. 2. pag. 150. Quæ hispanice versa, sic se habet: „Esta Sagrada Congregacion ha declarado muchas veces con ordenes expresas de Clemente VIII. de 11. de Enero de 1601. de 26. de Noviembre de 1602. de Paulo V. de 7. de Enero de 1617. y de Urbano VIII. de 1628. que todas las facultades para absolver de casos reservados, ó que reseren los Ordinarios, ó de los comprendidos, ó que se han de comprehender explicite, vel implicite en la Bula in Cœna Domini, y otros reservados solamente à la Santa Sede en el mismo Decreto de Noviembre de 1602. concedidas à Seculares, ó Regulares, Congregaciones, Confraternidades de cualquier prerrogativa, ó particularidad que sean, etiam necessario exprimenda, han sido anuladas y extinguidas así por el Santo Concilio de Trento, como por las sobredichas Constituciones: y que en vigor de las Confirmaciones, extensiones, ó comunicaciones después obtenidas, ó que en adelante se obtengan, baxo qualesquier amplísimas clausulas, jamas se entienda renovada la sobreñida facultad &c. Dicendum igitur, fas non esse &c.*

CAS. II. Cum pignora Montis Pietatis licitantur, Agricola, qui suum pignus agnoscit, dum venditur, se exhibet ad emendum; & successive pretium auget, ut etiam augeatur ab aliis emere volentibus. Pignus revera emititur, non ab Agricola, sed à Titio, pretio longe majori supra supremum.

Q. an Agricola possit à Monte recipere premium sui pignoris, ac sibi tuta conscientia retinere?

Respondeo posse Agricolam, cum animo dein reintegrandi Titium, recipere à Monte premium sui pignoris; sed non posse totum sibi tuta conscientia retinere. Ratio pr. par. est, quia retento per Montem Pietatis quod sibi debetur, residuum pretii, & pignorum venditione percepti, Proprietariis tradendum est, quorum, non Montis erant res venditæ. Propterea cum tale pignus revera esset agricolæ; huic residuum pretii ejusdem tradendum est; qui proinde, cum animo dein reficiendi Titium, utique potest illud recipere. Ratio secundæ partis est, quia licet justum premium eorum, quæ llicitantur, publica auctoritate permittente, illud sit, quod nulla fraude interveniente, inter pretia à llicitantibus oblata, ultimo majus est; ideoque fieri possit, ut per dimidium, immo & duplo sit justo pretio rei, etiam summo, quo res in propriis officinis valerent; tamen, si in hoc vendendi modo fraus aliqua intercesserit ex parte vendoris, seu illius, cuius pignus est, contractus illico evadit injustus, subintratque onus restitutionis, ut tradunt DD. communiter. Jam vero res ita se habuit in casu; una enim ex hisce fraudibus est, teste Cunigliati de Empt. & Vend. §. 4. num. 8. Bonacina disp. 3. q. 2. punct. 4. num. 21. si Vendor inducat fictos emptores, successive premium augentes, ut sic etiam augeatur ab aliis emere volentibus; vel etiam si Vendor id faciat per se ipsum ad eumdem finem: moraliter namque idem est, hoc facere per seipsum, ac per alios. Ergo cum agricola plane ita se gesserit in casu, nequit tuta conscientia sibi retinere totum premium, sed solum quantum adæquat premium moderatum ejusdem; ac Tilio debet restituere excessum in refectionem damni, quod passus est ob fraudem ipsius. Vide Sporer tract. 6. cap. 5. sect. 1. num. 23. ac Giribaldum de Empt. & Vend. dub. 5. num. 47.

CAS. III. Occurrente die, qua recitur Officium ritus duplicis, conveniunt Parochi, aliqui Sacerdotes Plebanatus ad faciendum Officium pro uno, vel pluribus defunctis. Q. an ab iis tunc celebrari possit Missa defunctorum; & an quandoque liceat Missa de Requiem in festo ritus duplicis.

Respondeo ad primam partem negative, nisi concurrat aliqua ex circumstantiis, de quibus infra in responsione ad secundum. Ratio desumitur tum ex Rubricis generalibus Missalis tit. 5. ubi hæc leguntur: *Missa privatæ pro Defunctis quocumque die dici possunt, præterquam in Festis duplicibus, & Dominicis.* Cum etiam ex variis Decretis S. Rituum Congregationis, relatis à P. Merato in Nov. Observ. & Addit. ad Gavan. part. I. tit. 5. quibus sequens addo ejusdem Congregationis 29. Januarii 1752. *Missa privatæ de Requiem, etiam corpore præsente, ac insepulto, dici non possunt diebus, quibus fit de Officio duplice, etiam minori, vel aliis à Rubrica exceptis, & quæcumque consuetudo in contrarium abusus declaratur.* Et hæc prohibitio valet cum sit de duplice etiam translate, ut declaravit eadem S. R. C. die 31. Julii 1665. apud Meratum ibidem: Quantum ad secundam partem respondeo affirmative, nam unica Missa solemnis de Requiem potest celebrari primo in die Depositionis Defuncti, quando occurrit festum duplex alicuius Sancti, & quidem etiam non præsente cadavere, si tale festum non sit de præcepto;

S. R. C. 19. Sept. 1654. & præsente cadavere etiam in Dominicis, & aliis festis de præcepto, dummodo non obste magna diei celebritas, ut ait Rituale Romanum tit. de Exeq. seu non sit de festis solemnioribus primæ Clas- sis, ut explicuit S. R. C. 19. Januar. 1752. & dicemus in responsione ad Cas. 3. Martii: Secundo quando Testator reliquit diem tertiam, septimam, trigesimam, vel etiam anniversariam sui obitus quotannis celebrandam; talibus namque diebus potest unica solemnis Missa de Requiem celebri, quamvis officium aliquod duplex majus, aut minus agatur, dummodo non incident in aliquam ex Octavis privilegiatis; aut in festum de præcepto. Merati l. c. & P. Cavalieri in Agend. Defunct. cap. 4. ex diversis S. R. C. decretis. Et quamvis prædicta, quoad diem anniversariam, generaliter valeant solum quando Testator pro se ita disposuit, ut nota Gavantus part. I. tit. 5. tamen Meratus ibid. & Cavalieri, cap. 5. de Anniversar. editum referunt à S. R. C. 19. Junii 1700. sequens Decretum in favorem parochianorum ruralium: *Ex privata devotione parochianorum, pertinentium sapienter per annum Anniversaria pro defunctis, parentibus, fratribus, amicis, & aliis Defunctis, potest in ruralibus Ecclesiis cantari Missa solemnis de Requiem in festo duplice minori, altera Missa cantata de festo (ubi quoad hanc adest obligatio) ubi adsunt plures, vel saltē duo Sacerdotes, dummodo sermo sit de die vere anniversaria à die obitus. Immo eadem die 19. Junii 1700. à S. R. C. editum fuit hoc aliud Decretum: In Ecclesiis Parochialibus ruralibus in quibus per annum plerumque unus tantum Sacerdos celebrat, & sine cantu, potest dici Missa de Requiem, quando Anniversaria ex Testatorum dispositione, recurrente obitus die, incident in festum duplex majus. Non idem tamen dicendum de diebus tertio, septimo, & trigesimo. Meratus in indice Decretorum num. 546. & Cavalieri cit. cap. 4. decr. 2. Tertio: Cum primum accipitur nuntium de obitu in loco dissito alicuius: (Spiridion Talu refert, alicuius de gremio) potest cantari Missa de Requiem ut in die obitus pro ejus anima in festo duplice majori, vel non tamen de præcepto, ut cirius suffragetur animæ defuncti, non relicta tamen Missa in cantu de festo duplice, quatenus adsit obligatio. Ita in terminis S. R. C. 4. Maii 1768. apud Meratum, & Cavalieri, qui videti possunt pro aliis circumstantiis, siquidem à nobis allatae satis probant, Missam de Requiem in festo ritus duplicis quandoque licere.*

MENSE FEBRUALII.

CAS. I. **C**ajus pauper in electione novi Parochi suæ Paroeciae, ex multis Sacerdotibus concurrentibus dat illi suffragium, quem putat futurum in pauperes misericordiorem. Q. an Simonie peccatum committat.

Respondeo cum distinctione. Vel Cajus, dando isti suffragium, principaliter ad hoc movetur à speratis corporalibus eleemosynis, aliove simili motivo temporali, vel non. Si non, dico, ipsum non committere peccatum simonie. Ratio est, quia in hoc casu non dat spirituale pro temporali; ideoque abest motivum eidem impingendi crimen simonie, cum hoc non stet absque contractione, vel datione, aut acceptione, saltem mentali, rei

rei spiritualis, seu spirituali annexæ, pro temporali; aut è contra. Si vero principaliter moverit ad dandum isti Sacerdoti suffragium à speratis eleemosynis, &c. tunc dico, ipsum committere peccatum simoniæ, eo quia, quantum est ex se, eligit tales Sacerdotem in Parochum, adeoque ad Beneficium, quod est quid spirituale, principaliter ob temporale: quod satis esse ad incurrendum simoniæ crimen, evincit damnatio hujus thesis 46. facta ab Innocentio XI. Id quoque locum habet (quod niente non sit simonia) etiam si temporale sit principale motivum dandi spirituale; immo etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur, quam res spirituallis. Et ratio est, quia cum datur spirituale principaliter ob temporale, tunc ex intentione, saltem implicita, operantis, fit commutatio rei spiritualis datae cum ipsa re temporali; & hæc quodammodo pluris aestimatur, quam illa, cum illa detorqueatur à proprio fine, & ordinetur veluti medium ad rem temporalem ut finem: per quod magna irrogatur rei spirituali reverentia. Neque dicas, supposita veritate hujus doctrinæ, fore simonia cum etiam celebrare Missam ob stipendum, ac dare eleemosynam pro Missa, pergere in chorum ad canendum, immo, & Canoniciatum acceptare ad lucrandas distributiones, &c. quæ omnia cæteroquin, communius, ac praxi, in universa Ecclesia comprobantur ut licita: quod manifestum indicium est, nihil irreligiositatis sapere etiam rem spirituale ordinare ad aliquem finem temporalem honestum, quando hic non intenditur ut pretium illius, aut illi coæquari, & multo minus anteferri. Contra enim; concedo prædicta, aliaque his similia fore simoniaca, si fiant principaliter ad tales fines; valet namque eadem ratio. Nec usus, & praxis Ecclesiæ est in contrarium; nam eleemosyna non datur Sacerdoti, neque ab eo accipitur pro Missa, sed quasi stipendum suæ sustentationis, ut ait S. Thomas 2. 2. quæst. 100. art. 2. ad 2. quod est quid temporale. Et de Canonicis quoad distributiones, ita loquitur Sanctus Doctor, sermonem habens de uno ex istis. Quodl. 18. art. 11. Si hujusmodi distributionem accipiat, quasi finem suæ operationis principaliter intentum, simoniam committit. Si autem principalem finem habet Deum, ad hujusmodi distributiones vero respicit secundario, non tamquam in finem, sed sicut in id, quod est necessarium ad suam sustentationem, simoniam non committit, nec peccat: sic enim acceptio distributionum non erit causa, quare ad Ecclesiam vadat, sed proprie hujusmodi determinatio, quare non vadat, & non alia vice. Ex quo inferes, plurimum irreligiositatis intervenire, si res spirituale in sensu prædicto ordinetur ad temporalem; ideoque &c. Vide Vivam in dictam propositionem damnatam, ac P. Cunigliati de Simon. §. 8. num. 2.

CAS. II. Idem Cajus, cum videat magnam esse dissensionem inter electores, sit ne Petrus, an Paulus dignior Sacerdos pro obeundo munere Parochi, suffragium suum dat alteri Sacerdoti, sibi penitus ignoto. Q. an peccet.

Respondeo affirmative non enim per hoc, quod inter electores sit magna dissensio, sit licitum Cajo suum alicui dare suffragium cæco modo; agitur namque de providenda Ecclesia Parochiali, suo quasi Sponso, ac principali ministro; & de Pastore substituendo, ac præficiendo integræ Communauté Parochianorum, qui doctrina sana istos instruat, bono exemplo eos

ædificet, Sacramentorum cibo illos pascat, &c. proindeque agitur de re magni momenti, quæ sane more cæcorum tractanda non est, nec à voluntate absolute, cum patroni non sint Beneficii Parochialis proprie domini, sed administratores, ac vacantis Ecclesiæ quasi Tutores, ac Procuratores, ideoque ex officio bonum ejusdem agere, ac procurare teneantur. Atqui Cajus prædicto modo se gerens, ita non operatur, ut patet ex terminis, ergo &c. Neque dicas, hujusmodi reflexiones esse quidem necessarias in casu, quo Parochialis sit jurispatronatus Ecclesiastici, ac institutio ad Episcopum, & non ad alium spectet; cum enim eo nunc Patroni teneantur Episcopo præsentare quem ipsi judicant dignorem ex probatis in concursu ab examinatorebus, profecto in hoc casu teneretur Cajus dignorem nominare; & suum dando suffragium Sacerdoti, ipsi penitus ignoto, peccaret. At sumus in casu Parochialis jurispatronatus laicorum, in quo judicium de idoneitate nominati, ex Tridentino sess. 24. de reform. cap. 18. pertinet ad Examinatores, & non ad Patronos, inter quos est Cajus; qui propterea potest absque dictis sollicitudinibus nominare quem vult, ut habetur in c. Monasterium, can. 16. quæst. 7. & sic nominare etiam penitus ignotum. Ne dicas, inquam, licet enim agatur de Parochiali jurispatronatus laicorum, adhuc agitur de electione ad Ecclesiam Parochiale; & Tridentinum exigens, ut præsentatus à Patronis examinetur ab Examinatorebus, & ab iis non nisi repertus idoneus admittatur, non excludit prævias diligentias Patronorum, immo eas supponit, cum initio ejusdem capituli generaliter, ac indefinite præmittat: *Expedit maxime animarum saluti, à dignis, atque idoneis Parochis gubernari; id ut diligentius, ac rectius perficiatur, &c.* Hinc potest Cajus eligere quem vult, si requisitæ in eo reperiantur qualitates; non vero secus. Nec refert Canon Monasterium; ibi enim est sermo de primo Beneficii institutore, ac constructore Ecclesiæ, cui conceditur privilegium eligendi ex idoneis quem vult, ut sic fideles allicantur, ac excitentur ad nova Beneficia fundanda in Ecclesiæ utilitatem; nec ibi, vel alibi simile quid invenitur concessum Patronis, qui propterea succedunt quidem Fundatori in jure nominandi, & præsentandi simpliciter, non vero cum libertate eligendi dignum omisso digniore. Accedit, in eodem Canone dici, quod Fundator valeat quidem commendare Ecclesiam illi Presbytero, cui voluerit, sed cum consensu Episcopi; unde cum Episcopus supponatur numquam consensurus in Sacerdotem sibi, ac Fundatori penitus ignotum, sed tantum in illum, de cuius qualitatibus ad officium requisitis bonum habeat testimonium; ideo etiam Cajus vigore præfati Canonis Sacerdoti consimili votum dare debet, & non ipsi penitus ignoto. Neque replices, Glossam ibi asserere satis esse quod nominatus non sit malus; nam in primis *ne malus sit*, quod habetur in Canone, refertur non ad nominatum, sed ad nominantem; si enim Canon recte construatur, facit hunc sensum, quod nominans, seu eligens, ne malus sit, debet commendare Beneficium, seu Ecclesiam Presbytero cum consensu Episcopi. Deinde non potest Cajus dignoscere, Sacerdotem à se nominatum non esse malum, si est ipsi penitus ignotus. Ergo etiam transmissa Glossæ expositione, Cajus nominans cæco modo, agit contra sacros Canones, adeoque peccat.

CAS.

CAS. III. Cum dies anniversaria à Testatore præscripta incidat in diem Dominicam, aut in diem infra Octavam. Q. an Parochus tali die possit Missam de Requiem in cantu celebrare? Et quid si incidat infra Octavam Corporis Christi?

Resp. non posse Parochum Missam de Requiem in cantu celebrare, sive dies anniversaria incidat in Dominicam, aut aliam diem festivam de præcepto; sive in diem infra Octavam privilegiatam, vel infra Octavam Corporis Christi: bene vero si incidat infra Octavam non privilegiatam. Quoad diem Dominicam, & alias festivas de præcepto, evincitur ex eo, quod hisce diebus neque in die depositionis defuncti potest, non præsente cadavere, Missa de Requiem in cantu celebrari, ut colligitur ex Decreto S.R.C. 19. Septembris 1654. Ergo nec si in eos incidat dies anniversaria. Propterea eadem Congregatio infrascripcta duo Decreta edidit, unum 23. Maii 1603. Officium anniversarium, vel septenarium, vel tricenarium Defunctorum post obitum, si cadat in die Dominicano, vel festivo, transfertur in diem sequentem, cum eadem solemnitate, hoc est, cum antiphonis duplicatis in Officio, & unica Oratione, ac Sequentia in Missa. Alterum 4. Maii 1686. Anniversaria, sive Missæ quotidianæ cantatæ de Requiem, relictæ ex dispositione Testatorum pro certis diebus, hic impeditis die Dominicano, seu alio festo de præcepto, cantari possunt in diebus subsequentibus, seu antecedentibus, in quibus, occurunt Officia de duplice majori, non tamen de præcepto. Quantum ad diem infra Octavam in privilegiatam, vel infra Octavam Corporis Christi, patet ex Decreto S. R. C. 5. Julii 1698. Infra Octavas privilegiatas non potest cantari Missa defunctorum in Anniversario, & Officio solemni, hoc est, in Officio dierum tertii, septimi, trigesimi, vel aliorum solemniter celebratorum, de quibus loquitur Rubrica V. n. 3. ut exponit Cavalieri c. 5. de Anniver. dec. 4. & ex alio 12. Septembris 1671. Missæ cantatæ Mortuorum infra Octavam Corporis Christi non sunt celebrandæ, nisi præsente corpore. Quod si hic petas, quænam sint Octavæ privilegiatae abigentes Anniversaria? Dico, eas esse Octavas Epiphanie, Paschatis, Pentecostes; & si quæ aliæ alicubi sunt, quæ ratione altioris ritus, & non mera dignitatis, expellunt festum duplex majus, quod est circumstantia eminentior, in qua locum habent Anniversaria. Ex peculiari nihilominus ratione his additæ sunt Octava Corporis Christi, ob augendam venerationem, ac promovendum cultum erga Sanctissimum Eucharistia Sacramentum, & Octava Nativitatis D. N. J. C. ob divinæ Incarnationis mysterium. Unde S. R. C. die 26. Septembris 1706. & 14. Septembris 1714. annuente Clemente XI. edidit hoc Decretum: *Infra Octavam Nativitatis Domini prohibentur Missæ votivæ, vel pro defunctis, & quidem non tantum privatæ, ad quas non se restringit sanctio, sed etiam cantatæ, præter solemnem præsente corpore, quæ cum sit digna specialis noræ, numquam intelligitur in inhibitionibus comprehensa, nisi fuerit specialiter expressa, ut tradit Cavalieri c. 9. decr. 5.* Ratio demum, ob quam celebrari potest infra Octavam non privilegiatam, hæc est, quia cum pro hujusmodi circumstantia nulla habeatur exceptio, valet illa regula generalis, quod Anniversarium unius Missæ cantatæ de Requiem fieri potest etiam in duplice majori, vel minori, quod non sit de præcepto.

MEN-

MENSE MARTII.

CAS. I. IN electione Parochi Titius nedum votum suum dat Petro Sacerdoti, verum etiam (quia est sanguine sibi conjunctus) omnem navat operam cum amicis suis, ut & ipsi eumdem eligant, licet alii Sacerdotes concurrentes scientia, ac pietate Petrum excedant. Q. an licite.

Respondeo negative. Electio enim Parochi fieri non debet ex motivo consanguinitatis, vel alterius humanæ affectionis, sed ut vacanti Ecclesiæ bonus Pastor præficiatur; alias pervertitur finis, ad quem Beneficia Parochialia sunt instituta. Propterea Innocentius III. cap. unico Tit. Ut Eccles. Benef. sine dimin. confer. ait: *Non ex affectu carnali, sed discreto iudicio debuisti Ecclesiasticum Beneficium in personam magis idoneam dispensare;* & S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 5. ad2. *Si aliquis aliquid spirituale alicui conferset propter consanguinitatem, vel quacumque carnalem affectionem, est illicita carnaialis collatio.* Ergo si Titius nedum votum suum dat Petro Sacerdoti, verum etiam navat omnem operam cum amicis suis, ut & ipsi eumdem eligant, quia est sanguine sibi conjunctus, illicie id peragit. Et hoc maxime, si alii Sacerdotes concurrentes Petrum excedant, non solum scientia, ac pietate (quæ sane requiruntur in Parocho, sed solæ in eo non sufficiunt, nec constituant adæquate digniorem) verum etiam prudentia, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis, ut loquitur Tridentinum sess. 24. de Reform. cap. 18. nam, quantum ad conscientiam eligentis, inquit Doctor Angelicus 2. 2. q. 63. art. 2. ad 3. *necesse est eligere meliorem.* quia si potest haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, & alius præferatur, oportet quod hoc sit propter aliquam causam; quæ quidem si pertineat ad negotium; quantum ad hoc erit ille, qui eligitur, magis idoneus. Si vero non pertineat ad negotium, ad quod consideratur ut causa, erit manifesta acceptio personæ. Atqui consanguinitas, ratione cuius Titius dicta peragit, non est causa, quæ pertineat ad negotium, quæ scilicet Petrum efficiat Ecclesiæ gubernio aptiorem: Ergo præfatis qualitatibus in aliis concurrentibus præsuppositis, ille modus agendi in Titio est manifesta acceptio personæ, & sic actio, & procuratio illicita. Dixi præfatis qualitatibus præsuppositis in aliis concurrentibus, eo quia si haec in istis non reperiantur, sed rebus hinc inde perpensis Petrus sit æque idoneus, ac alii, tunc nominatio, & dicta procuratio Titii est quidem illicita, quatenus facta ex causa motiva consanguinitatis, non tamen ex alia ratione; immo si causa motiva sit æqualis Petri aptitudo, & consanguinitas mera causa impulsiva, censeo quod Titius nullo modo peccet, si secluso scandalo, dicta faciat, ut Petrus eligatur, sicutem ut notat Shmier Jurisprud. lib. 5. tract. 2. cap. 1. sect. 3. §. 1. vinculum sanguinis non debet alieni esse impedimento, quominus ad Beneficia possit eluctari; sicuti non debet esse alicui adjumento, ut ejus intuitu dignioribus præferatur; prout admittit etiam Card. Sfrondatus in Nepotismo theol. expen. §. 2. num. 1.

CAS. II. Novit Sempronius, in futura electione, ab Universitate facienda, eligendum esse ad munus Depositarii Titium, quem scit privatum furtis, & fraudibus esse assuetum. Quamquam vero idem Sempronius pertineat ad

Zzz

cor-

corpus ejusdem Universitatis; tamen, ut lites evitet, nec Universitatem adit, nec Titii vitia manifestat. Q. an ita se gerendo, sit tutus in conscientia.

Respondeo cum dist. Vel lies, ad quas evitandas Sempronius non adit Universitatem, sunt tales, ut si ad eam se conferat, ibique Titii vitia manifestet, eidem Sempronio imminet grave malum, aut facta ab eo manifestatio evadat inutilis; & tunc dico, Sempronium ita se gerendo esse tutum in conscientia. Vel tales sunt, ut, præscindendo à levibus contentiosis quorumdam dicteriori, nullum exinde malum Sempronio sit permissendum, immo adsit spes impediendi Titii electionem; & in hoc casu dico, Sempronium ita se gerendo, non esse tutum in conscientia. Ratio uriusque partis est, quia ex quo Sempronius sit membrum Universitatis, teneatur ex officio procurare bonum Communitatis, & quantum moraliter potest, ab ea malum avertere. Jam vero quando nullum, vel tantum leve incommode ipsi imminet, effulgetque dicta spes, si Universitatem adeat, &c. Sempronius censetur moraliter potens tale malum avertere, proindeque ad id tenetur: quodlibet enim munus, omnisque gradus Communitatis, habet alicuius incommodi concomitantiam, quod ejusdem gradus, vel officii honore compensatur; & ideo ob incommode leve Sempronius in casu non excusatur ab aditione Universitatis, & manifestatione vitiorum Titii quantum sufficit ad optatum impedimentum electionis ejusdem in Depositorium; idque omittendo, profecto non est ipse tutus in conscientia, sed peccat contra charitatem, & probabilius etiam contra justitiam; ut videre est apud Layman, Cunigliati, Giribaldum, & alios, ipsum obligantes pro suo posse ad refectionem damnorum, exinde provenientium. E contra quando manifestatio occulti criminis, seu vitii, prævidetur inutilis, eo quia non obstante tali manifestatione, adhuc sequetur electio criminosi ac defectuosi; item, quando facienti hujusmodi manifestationem imminet grave malum, hic eo tunc cesetur moraliter impotens impedire damnum Communitatis, ideoque non tenetur ire ad Universitatem, & facere manifestationem; habemus namque monitum æternæ Veritatis: *Ubi non est auditus, ne affundas sermonem.* Et lex obligans ad impediendam mali, sed occulti delinquentis electionem, in hisce casibus adeo stricte non obligat etiam membrum Universitatis, ut ipsum adigat, se gravis mali periculo exponere, maxime cum vitiositas manifestatio prævidetur inefficax, & inutilis. Ex quo inferes, quod si Sempronius ideo non adit Universitatem, quia prævidet sibi aliquod grave malum, aut utilitatem minifestationis prædictæ, est utique tutus in conscientia. Vide Giribaldum de Restit. cap. 3. dub. 3. num. 32.

CAS. III. Audivit Parochus, posse Missam de Requie præsente corpore cantari etiam in duplice primæ Classi. Quare cantavit eamdem Feria 5. hebdomadæ majoris, necnon solemnidie Paschatis. Q. an recte?

Resp. neg. quoad utrumque, si per solemnem diem Paschatis intelligitur ipsamet Dominica Resurrectionis. Ratio est, quia utraque ex his diebus inter Duplia primæ classis solemniora accensetur, ut constat cum ex variis Decretis S. Rituum Congregationis, signatarer ex illo diei 11. Aug. 1736. ac 29. Januarii 1752. cum etiam ex Cæremoniali Episc. lib. 2. cap.

3. §. 16. Porro in duplicibus primæ classis solemnioribus non posse cantari Missam Defunctorum, etiam præsente corpore, jadu declaravit eadem S. R. C. ut infra constabit. Dux nihilominus in response. Si per solemnem diem Paschatis intelligatur &c. eo quia præfata Rituum Congregatio die 2. Septemb. 1741. edidit sequens Decretum apud Cavalieri in Agen. Def. tom. 2. cap. 4. decr. 3. Cum juxta Rubricas Ritualis Romani, absque Missa, quantum fieri potest, Defunctorum corpora non sint sepelienda, poterit, præsente in Ecclesia cadavere, unica Missa solemnis de Requie celebrari feria secunda Paschæ, aut Pentecostes. Hæc tamen Missa non decantabitur in duplice primæ classis etiam non festivo de præcepto, si corpus presens in Ecclesia non fuerit, aut si fuerit pridie sepultum. Immo cum postea eidem Sacrae Congregationi propositum fuerit sequens dubium hisce terminis: Utrum in Majori hebdomada (exceptio triduo ante Pascha) & biduo post, & infra Octavam Paschæ, & Pentecostes, ac etiam in festis duplicibus primæ classis, non tamen celeribus possit cantari Missa unica solemnis de Requie in Sepultura cadaveris: S. R. C. die 29. Januarii 1752. respondit affirmative. Neque dicas, ambo hæc duo Decreta pugnare cum illo diei 5. Julii 1698. in quo eadem Congregatio declaravit: In duplicibus primæ Classis, etiam præsente corpore, non potest cantari Missa Defunctorum. Et multo minus dicenda est una Missa privata defientibus Clericis in Choro. Apparentem namque oppositionem auferes, hoc Decretum intelligendo de solis duplicibus primæ Classis celebribus, ac solemnioribus; de reliquis vero duo Decreta præcedentia: Et si hic scire cupis, quænam sint Duplia primæ Classis Solemnia: Dico, quod sunt, Nativitas D.N.J.C. Epiphania, dies prima Paschæ, ac Pentecostes, Ascensio Domini, Festum Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri, & Pauli, Assumptionis B. M. V. Omnim Sanctorum, Patroni principalis loci, Sancti Titularis Ecclesiæ, illud propriæ Ecclesiæ Dedicationis, Feria V. in Cœna Domini, Feria VI. in Parasceve, & Sabbatum Sanctum. Addunt aliqui Festum Nativitatis S. Joannis Baptiste. Verum inter Duplia primæ classis celebriora ipsum non recensent Cæremoniale Episcoporum, neque Decreta S. R. C. Unde, nisi alicubi celebretur maxima cum solemnitate, inter Duplia primæ Classis minus solemnia accensendum existimo, præcipue cum notissimum sit occasione reductionis festorum factæ à f. r. Benedicto Papa XIV. alicubi reductum fuisse etiam festum Nativitatis S. Joannis Baptiste. Addendum porius puto festum illud, quod eo die, in quo Defunctus debet humari, in loco habetur ut maxime solemne.

M E N S E A P R I L I S.

CAS. I. IN eligendo Titio ad officium Medici in Hospitali, electores preibus, ac muneribus vieti, etsi Sergium agnoscerent, non quidem inhabilem, sed cæteris concurrentibus minus habilem, ipsum elegerunt. R. an peccaverint?

Respondeo affirm. nam certo quodam modo ita se habent Assumpti, Præsides, vel alio quocumque nomine nuncupentur, Præfecti Hospitalis, in ordine ad ipsum Hospitalē, sicuti membra Universitatis in ordine ad Communi-